

*u*  
No. 89. Um 1219.

*B. Bruno gibt zu dem vor seinem leiblichen Bruder Conrad von Borsendorf abgeschlossenen Verkaufe einer Hufe Landes an das Cistercienserklöster Pforta seine Zustimmung.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Bruno II. dei gratia Misnensis episcopus. Quoniam facta hominum aliquando aut ignorantia posterorum confundit, aut pravorum ingeniositas pervertit, universis Christi fidelibus intimamus, quod Cunradus de Borsendorf carnalis frater noster unum mansum de praedio suo in Ummelstede<sup>a)</sup> in usus ecclesiae Portensis vendidit cum omni utilitate et proventu in pascuis, pratis et areis, molendini loco, salicto, monte locandis vineis apto et arbustis eidem monti adiacentibus, sexaginta marcas argenti recipiens sub hac forma: viginti marcae anno primo solventur, reliqua vero pecuniae pars hoc remanet ordine persolvenda, ita quod singulis annis decem marcae ei si vixerit, aut si obierit iis quibus ipse vivens destinaverit praesentandas, in certo termino praesententur. Cum igitur noster item super eo consensus requirendus existat, ob reverentiam eiusdem loci nostrum assensum gratanter eidem contractui adhibentes factum idem praesentis paginae et sigilli nostri munimine roboramus. Testes huius rei sunt Winemarum abbas, Gotscalcus camerarius, Theodericus subportarius, Wernherus grangiarius, Ekkehardus de Kyrchberg, Bruno de Lobeniz, Ortolfus de Burnewiz, Sifridus de Hartmannisdorf, Ortuinus Niuelungus, Albertus, Stephanus, Theodericus, Cunradus, Reinboto milites et alii.

Nach dem Diplomatarium des Klosters Pforta aus den letzten Jahrzehnten des 13. Jahrh. fol. 20, aufbewahrt in der Bibliothek der dasigen Landesschule. — P. Honorius III. bestätigte diese Erwerbung des Kl. Pforta am 9. Nov. 1220. Orig. in der Univ.-Bibl. zu Leipzig.

a) Jetzt Wüstung.

No. 90. 1220. 3. Sept.

*P. Honorius III. bestätigt den gegen den Grafen Heinrich von Anhalt u. And. vom Erzbischof von Magdeburg ausgesprochenen Kirchenbann und befiehlt den Suffraganen desselben, diesen auch in ihren Diöcesen feierlich verkündigen zu lassen. Vgl. No. 94.*

Honorius episcopus etc. venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Magdeburgensi et suffraganeis eius salutem etc. Per tuas nobis literas, frater archiepiscope, intimasti, quod cum quidam commensales nobilis viri H. comitis Ascariae adversus dilectum filium . . abbatem Nienburgensem nullam pro se causam inimicitarum habentes, eundem abbatem orbassent lumine oculorum et impie mutilassent, tu, quia praesumptiones validissimae ac nullatenus palliabiles ostendebant, id factum esse nutu et mandato comitis memorati, qui graves cum abbate ipso habere dinoscitur quaestiones, de multorum episcoporum aliorumque consilio praefatum comitem et omnes tanti facinoris consiliarios et auctores excommunicatos publice nuntiasti. Licet igitur nuntii dicti comitis, qui pro eo, quod eius purgationem recipere renuebas, nostram audientiam appellaverat, ipsum comitem super hoc conati fuerint coram nobis multipliciter excusare, quia tamen conatus inefficax extitit eorundem, nos ratum habentes, quod in hac parte fecisti, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem comitem et alios praenotatos, singuli per civitates et dioceses vestras ac alia loca, in quibus videritis expedire, candelis accensis et pulsatis campanis singulis diebus